Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1837
Quelle:
Copyright:

DCCLXIV.

U. 143 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc 161. f. per duas columnas bene ſcriptus, rubricisque diſtinctus orditur a *Calendario* germanico ſat aſtronomico; indicatur enim quovis menſe: *Wye vil weil der tag tagleich hat*, et: *An welhem tag in welher weil pei tag oder pey nacht der Mon new wirt;* idque ad Minuta. Sed *Januarius*, *Febr.* *Jul.* et *Auguſtus* excidere. Reliquorum Nomina *der Merczz*, *der Abrull*, *der erſt Maij*, *der ander May*, *der erſt herbſt mon*, *der ander herbſt mon*, *der erſt Winter mon*, *der ander winter mon*. In *Auſtria* ſcriptum demonſtrat Feſtum miniatum *Cholomanni martiris* 13. Octobr. Accedunt variae Tabulae et Canones pro inveniendo et ordinando tempore eccleſiaſtico, et brevis Inſtitutio *de Decimis*, quae incipit: *Quia ex ordinacione eccleſie in quatuor principalioribus anni feſtiuitatibus mandatur, quod prelati et alij ſeminantes verbum dei populum diligenter ammoneant et hortentur, ut Decimam in effectu integraliter eccleſijs uel clericis quibus debent perſoluant. Sed quia non in omnes cadit verbum dei* &c. et videtur materiam ſacro Sermoni ſufficere.

II. *fol.* 9. ſuccedit Expoſitio *Evangelii Matthaei*, cujus Prooemium inſit: *Simile eſt regnum celorum homini Regi. Sic enim patet in acceſſu* &c. et ipſe textus: *Liber generacionis ihesu chriſti filij david. Simile eſt regnum celorum homini &c. Iſta uerba exponi poſſunt ad huius libri commendacionem* &c. Autorem, cujus fontes pertingunt uſque ad *Rabanum*, *Remigium*, *Bernhardum* et *Gloſſam*, non reperi, et quaerere deſtiti, ubi ab eo doctus ſum Evangelium dici *ab eu*, *quod eſt bonum et gelon nunciatio*. Definit ille in verbis Evangeliſtae: *Et ecce ego vobiſcum ſum uſque in conſummationem ſeculi.*

III. *fol.* 153. Tractatus *de Uſura*, cujus initium: *Vſura primo communiter quid ſit. Reſpondeo ſecundum Raimundum. Vſura eſt lucrum ex mutuo pacto debitum uel exactum* &c.

IV. *fol.* 160. p. 2. *Incipit epiſtola beati Euſebij ad beatum damaſum epiſcopum portuenſem et ad chriſtianiſſimum theodonium Romanorum ſenatorem de morte glorioſiſſimi Jeronimi* &c. Spuria illa, jam non ſemel in his Commentariis relata, ſaepius prelo prodita, et hic imperfecta.

DCCLXV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. R. 1467 Foliorum 11. f. parte priore currente calamo et mendoſe exarata exhibet Excerpta miſcellanea e Patribus et Philoſophis, Sententias varias rhythmis incluſas, quaedam etiam ad Res *Boicas* Notata v. g. *Agnetem Bernauerinn* a Duce *Alberto* dilectam juſſu *Erneſti* Ducis Patris a. 1435. *in profeſto Colmanni Danubio* merſam, Anno 1467. *Carmelitarum* Coenobium *Straubingae* fundatum a Duce *Alberto*, et *Alb. Stainhauff* Praepoſito